

- huic vero nullast. *LA.* opportune te mihi,
 5 *Phidippe*, in ipso tempore ostendis. *PH.* quid est?
PA. quid respondebo his? aut quo pacto hoc aperiam?
LA. dic filiae rus concessurum hinc *Sostratam*,
 ne reveatur minu' iam quo redeat domum. *PH.* ah 630
 nullam de his rebu' culpam commeruit tua:
 10 a *Myrrina* haec sunt mea ũxore exorta omnia.
 <*PA.*> mutatio fit. <*PH.*> ea nos perturbat, *Lache.*
PA. dum ne redducam, turbent porro quam velint.
PH. ego, *Pamphile*, esse inter nos, si fieri potest, 635
 adfinitatem hanc sane perpetuam volo;
 15 sin est ut aliter tua siet sententia,
 accipias puerum. *PA.* sensit peperisse: occidi.
LA. puerum? quem puerum? *PH.* natus est nobis nepos.
 nam abducta a vobis praegnas fuerat filia, 640
 neque fũisse praegnatem unquam ante hunc scivi diem.
 20 *LA.* bene, ita me dĩ ament, nuntias, et gaudeo
 natum, tibi illam salvam. sed quid mulieris
 uxorem habes aut quibu' moratam moribus?
 nosne hoc celatos tam diu! nequeo satis 645
 quãm hõc mihi videtur factum prave proloqui.
 25 *PH.* non tibi illud factum minu' placet quam mihi, *Lache.*
PA. etiamsi dudum fuerat ambiguom hoc mihi,
 nunc non est quõm eam [con]sequitur alienus puer.
LA. nulla tibi, *Pamphile*, hic iam consultatiost. 650
PA. perii. *LA.* hunc videre saepe optabamus diem
 30 quom ex te esset aliqui' qui te appellaret patrem.
 evenit: habeo gratiam dis. *PA.* nullu' sum.
LA. redduc uxorem ac noli advorsari mihi.